



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS  
EX-||PLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

IX. De Ministro, & eo qui suscipit Sacramentum, Extremæ vnctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

sensus, quia illa sunt quasi quinque ostia, vnde peccata irrant ad animam, vt nimirum fiat generalis quædam expurgatio omnium, quæ remanent peccatorum. Ex quo intelligimus, quàm sit hoc Sacramentum non contemnendum, cum aliquando fieri possit, vt per hoc Sacramentum saluetur is, qui alioqui planè damnandus erat.

**D**ICIT aliquis; Id videtur commune omnibus Sacramentis, vt peccata mortalia tollant, si quæ inueniant, modò non ponatur obex, quia omnia Sacramenta conferunt gratiam, quæ non potest cum peccato mortali consistere: non igitur id est proprium huius Sacramenti. **R**ESPONDEO, omnia quidem Sacramenta id efficere, sed per accidens, hoc autem Sacramentum per se, & propriè hoc facit, quia ad hoc peculiariter est institutum in fine vitæ.

**S**ECUNDO, nomine reliquiarum peccati, venit etiam quidam torpor, & mœror, & anxietas, quæ ex peccato reliqui solet, & quæ maximè hominem morti vicinam vexare potest: de quibus loquitur idem Concilium Tridentinum supra citatum, & sanctus Iacobus, cum ait: *Alleuabit eum Dominus*. Nam sanctus Iacobus breuissimè omnes tres effectus Sacramenti huius complectitur, ac **P**RIMO incipit à leuissimo, id est, à sanitate corporali, cum ait: *Oratio fidei saluabit infirmum*. **S**ECUNDO addit de vno genere reliquiarum: *Et alleuabit eum Dominus*. **T**ERTIO addit de alio genere: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*.

## CAPVT NONVM.

### *De ministro, & eo qui suscipit Sacramentum Extremæ vñctionis.*

**M**INISTRVM esse presbyterum, id est, sacerdotem, & consequenter Episcopum, si is velit, docent omnia Concilia, & Patres supra citati. Id quod etiam apertè colligitur ex Iacobo: *Inducat presbyteros Ecclesiæ*. Nam etsi vox illa Græca *πρεσβυτερος* ambigua sit, & tam seniore[m] ætate, quàm dignitate significare possit, tamen secundum vsu[m] Scripturæ Testamenti noui, & Ecclesiæ, non significat, nisi sacerdotes. vnde i. Tim.

4 illud:



4, illud: *Cum impositione manuum presbyterij*, etiam aduersarij intelligunt de ministris Ecclesiasticis, non de senioribus laicis.

Vna est tantum hoc loco dubitatio, quia Innocentius I. in epist. i. cap. 8. dicit oleo sancto posse vti non solum sacerdotes, sed etiam laicos in suis, ac suorum necessitatibus. Quam sententiam totidem verbis recitat etiam Beda in c. 6. Marci, & Concilium Wormatiense, c. an 72.

RESPONDET Thomas Waldensis lib. 2. de Sacramentis, cap. penultimo, verba Innocentij intelligenda esse, de eo loco, & tempore, vbi nulli adsint sacerdotes; tunc enim licere etiam laicis hoc Sacramentum ministrare. Sed hæc expositio ab omnibus refellitur, & merito. Nullum enim est Sacramentum, quod non requirat essentialiter Ministrum sacerdotem, excepto Baptismo, ob summam eius necessitatem, & Matrimonio, quia in contractu mutuo nubentium consistit.

Dominicus à Soto dist. 23 q. 7. art. 1. intelligit Innocentium de vsu olei sancti extra Sacramentum ad curandos morbos: sed videtur id esse contra praxim Ecclesie, non enim dari solet oleum sanctum laicis, vt eo vtantur. Exempla verò, quæ leguntur de miraculis; quæ sancti Eremitæ oleo sancto faciebant, non conuincunt eos fuisse vsos illo oleo, quod ab Episcopo solenni cæremonia benedicatur, vt sit huius Sacramenti materia: poterant enim illi vti oleo, quod ipsi signo crucis benedicebant.

Alij rectius, vt Iansenius in cap. 6. Marci, dicunt Innocentium loqui de recipiente, non de Ministro: ac velle dicere, licere omnibus Christianis vti sancto oleo in suis, & suorum necessitatibus, nimirum aduocando sacerdotes, & accipiendo Vnctionem illam sacram, non ministrando.

Iam verò de eo, qui Sacramentum hoc suscipere potest, constat debere esse PRIMO Christianum. dicit enim Iacobus: *In vobis*. SECUNDO infirmum, quia addit: *Infirmatur quis*, &c. Nam qui bene valent, possunt agere pœnitentiam. Extrema autem vnctio est specialis misericordia, quæ exhibetur ægrotis, qui iam non possunt agere pœnitentiam, vt supra diximus. TERTIO infirmum grauiter, ita vt de vita periclitetur, vt Concilia docent, & nos supra ostendimus.

CC QVA R-



QVARTO adultum, & qui vsum rationis habuerit. Infantes enim, & qui semper amentes fuerunt, non habent reliquias peccatorum, quæ abstergantur, nec sunt capaces lætitiæ & alleuiationis, quam Sacramentum adfert, & non sine irreuerentia Sacramentum eis ministraretur. QVINTO non communicatum, nec ante Confessionem, & Absolutionem, si constet eum teneri peccato, à quo nondum sit absolutus. Ita docet Innocentius I. in epist. I. ad Decentium, c. 8.

## CAPVT DECIMVM.

## De Caremoniis.

**D**VAE sunt caremonia in hoc Sacramento vñctionis. PRIMA, vt recitentur Litanie, & alie quedam preces ante vñctionem. SECUNDA, vt vngantur septem corporis partes; nimirum oculi, aures, nares, os, & manus, propter quinque sensus: deinde renes, vbi est sedes concupiscentiæ; & tandem pedes, ob vim progressiuam, & executionem. Ita præscribit Concilium Florentinum.

Sed ex his vñctionibus aliqui putant, nullam esse defectu, sed sufficere, vt quouis loco vngatur ægrotus, quoad Sacramenti essentiam: reliqua ad ritum, & solennitatem pertinere. Hæc tamen opinio singularis est, & ideo minus tuta. Quidam verò existimant omnes illas vñctiones esse de essentia.

Sed communior opinio, quam etiam sequitur S. Thomas, est, vt ad essentiam solùm pertineat vñctio quinque sensuum. Ibi enim est origo omnium peccatorum: vis enim appetitiua pendet à cognoscitiua, vis autem progressiua, siue executiua ab vtraque. Et sanè ratio honestatis, in foeminis id postulare videtur, vt renes non vngantur. Itaque Concilium

non præscribit, vt vngantur illæ omnes partes, sed solùm enumerat omnes partes, quæ iungi solent iuxta varium Ecclesiarum ritum,